



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

154. De Socijs S. Bonifacij in perceptione Mart.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

De Socijs S. Bonifacij in perceptione Martyrij.



Vod ad Collegas Sacrae aureolę con-
 participes, meritò inter Apostolos
 Frisiae honorandos, pro quorum sa-
 lute sanguinem suum fudere, alij
 quinquaginta unum, alij 52. alij 53.
 enumerant; quorum tamen decem
 aut undecim nomina dumtaxat ab
 Othlono & Beda exprimuntur. De
 hisce omnibus differēdi nihil aut per-
 parum est materiae. Solùm proferā quę de his habet Mola-
 nus in indicul. SS. Belgij in S. Athalario: *S. Athalarius Mar-
 tyr, fuit unus ex precipuis quas S. Bonifacius secum in Frisia habuit
 & prædicationis & martyrij Collegas. Vnde nomen eius & in Lita-
 nijs Traiectensis Ecclesia exprimitur, & in Collecta diei 5. Iunij:
 Deus qui multitudinem populorum deuota Sanctorum tuorum Boni-
 facij, Eobani atque Athalarij & sociorum eorum instantia ad agni-
 tionem tui nominis vocare dignatus es, concede propitius, ut quo-
 rum solemniam colimus, eorum apud te patrocina sentiamus.* Ab a-
 nonymo qui iussu Fuldenium post S. Wilibaldum Boni-
 facij Historiam lib. 2. conscripsit, nominatur, vt arbi-
 tror, Adalherus. Scribit enim Bonifacio, præter Eoba-
 num Episcopum, in prædicatione Euangelij & in meri-
 to Martyrij adfuisse Presbyteros tres, & totidem Diaco-
 nos; puta Vintrugium, Walterum & Adalherum; Stir-
 baldum, Hamontium & Bosonem: Item professione Mo-
 nachos, Waccarum, Gunderharum, Willeherum & A-
 colpium.

dolphum. Porro corpus Athalarij in tumba portatili quiescit Traiecti in antiquo vel potius antiquato Monasterio S. Saluatoris: De hisce vide etiam Serarium lib. 3. rerum Moguntinarum notatione 46.

Corpus S. Bonifacij Clerici Traiectenses è loco Martyrij ablatum in sua Ecclesia sepeliunt. Verum mox aduolantibus magna turma tam Clericorum, quam laicorum etiã armatorum, Moguntinis, post aliquot concertationes & contentiones, Traiectensibus ægrè se defendere valentibus, Corpus dimissum delatum est Moguntiam, inde Fuldam. Has Translationes fuse describit Othlonus lib. 2. Vitæ S. Bonifacij cap. 27. & 28.

Martyres eos tali carmine celebrat Martinus Hamcomius in sua Frisia:

Vrbis cum Mogoni Presul Bonifacius esset,
Traiecti Cathedram conscendere maluit, ut tam
Frisones Et heræ, quam Teutones inderet arci.
Sed passim multus Sacro iam fonte renatis,
Doccomij dum forte manus imponere vellent,
Cum quinquaginta Martyr præsignis, & vno,
Concidit, ac magno Fuldam Transuectus honore est.
Ast Euangelicus codex, stola sacra, Calixque,
Panesque in lapides versi, Fons dulcis, & ipsum
Hic cranium, fidei testes misere, necisque.

Reliquiæ istæ stola &c. summo honore asseruabantur Doccomij vsque ad ciuilia nostra bella, quibus feruentibus aduersaria Rel. prævalente & suppressâ per Frisiã & reliquas Belgij Prouincias fide Catholicâ, hæ omnes cum reliquijs 40. sociorum distracte & euersæ sunt anno 1580. teste eodem Hamcomio.